



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Chronicon Monasterii Bödecensis Ordinis Canonic. Regul.
S. Augustini in Diœcesi Paderbornensi**

Probus, Johannes

Monachij, 1731

VD18 12260568

Caput IV. Qumodo, & quando Regulares Canonici primò Monasterium
præfatum sunt ingressi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64645)

C A P U T IV.

Quomodo, & quando Regulares Canonici primò Monasterium præfatum sunt ingressi.

Postquam præmemoratum Monasterium acceptatum fuit, ut præfertur, supradictus, ac DEO dilectus Prior Joannes Wale de Fratribus sui Monasterij Swollis Bethlemæ nuncupati Fratrem, videlicet Joannem Sebaldi, Fratrem Danielelem, Fratrem Joannem Kilverman, Fratrem dictum Gobt, Fratrem Mercellium Sacerdotes, ac tres Laicos officiorum ad desolatum prædictum Monasterium in Bøddeken ad inhabitandum, ac reformandum misit, qui ipso die decollationis B. Joannis Baptistæ idem Monasterium primùm intraverunt: cum autem jam primò-dictum Monasterium sunt ingressi, videntes illud in suis ædificiis penitus collapsum, ac destructum, Ecclesiam verò factam stabulum jumentorum, humano more terror eos implicavit, sed dum B. MEINULPHI Corpus in suo Altari collocatum invenerunt, cætera loci damna parùm curârunt, & quia hujusmodi Monasterium eodem tempore Apostolico suppositum fuerat Interdicto, ac prædicti Regulares Divinum Cultum apertis januis pro majori devotione habenda exercere cupientes Ecclesiam Kerckbergensem positam in vicino ab immunditiis suis purgaverunt, & sequenti Dominica post B. Joannis diem Reverendus Wilhelmus Paderbornensis Ecclesiæ electus per suum suffraganeum eam fecerat dedicari, in qua prænominati Regulares à tempore, quo dictum Monasterium reformare cæperunt, ferè unius anni spatiò Divinum Officium ob præfatum Interdictum apertis januis magno cum fervore peregerunt.

C A P U T V.

Quomodo B. Meinulphi nobilis fama longis neglecta temporibus iterum fuerit propalata.

Quia igitur B. MEINULPHI laudabilis fama multis annis silentiò obruta fuit, dignum duxi, quæ vidimus iterum magnificè propalare, & scriptis commendare. Regulares namque, postquam ingressi sunt Monasterium Bøddecense, audientes B. MEI-

NULPHI